

entium, hinc in borea & serenâ tempestate ordinarie ascendit, austro autem flante ac tempestate pluviosa ordinario inferiora petit: quo enim est liberior & rectilinea magis aeris expansio eo plus subjecta corpora premit & contra.

DEMONSTRATIO XXII.

Quamdiu corpora fluida sunt in æquilibrio nullus motus fit vel gravitas sentitur, simul ac autem illud æquilibrium tollitur & pressio corporum inæqualis efficitur, motus incipit & gravitas sese exferit.

*Experimenta.*

1. Ex globo vitreo aer extrahatur hujus postea orificio applicetur digitus, tunc epistomio aperto firmiter digitus ejus orificio adhærebit.

2. Quando idem globus vitreus vacuus immittitur aquæ tunc epistomio aperto magna cum celeritate & impetu aqua in dictum globum fertur impletque ipsum si ab omni aere fuit exinanitus.

3. Ex tubo vitreo si aer mediante antlia depleatur ipsaque mercurio immergatur, tunc clave aperta mercurius insigni cum celeritate fertur in altum.

4. In phiolas probe calefactas & immisissas postea liquoribus coloratis vel etiam mercurio, sponte ascendunt liquores aut mercurius ad certam altitudinem.

5. Explicationem meretur quare in aere medio si sumus non percipiamus ejus gravitatem, item cur pisces & homines constituti in aqua non sentiant ejus pondus nec non quando digitus cohæret cum antlia non experiamur externi aeris pressuram.

DE-